Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1661
Quelle:
Copyright:

morum temporum, Codd. DXLIII. et seqq. referendum.

XXX. *fol.* 204. *Auctoritates Noui et Veteris Testamenti Sanctorum Doctorum et Vniuersalis ecclesie contra communionem Infantium.* Non implet mensuram Opusculi *quinquepartiti* hic Titulus; sola enim *Pars* II. de Infantibus agit. In reliquis tractatur de tenendis et cavendis bono Katholico, de effectibus Baptismi, de ritu sumendi Corporis et Sanguinis Domini, et de ordine Sacramentorum in Ecclesia Dei. Initium: *et primo proponitur quomodo et que boni katholici debent predicare* &c. *Hussitam* autorem habet; nam inter PP. excitatur *Doctor ewangelicus*, puta *Wicleffus*, et *Job. Huss.* Unde liquet, eorum Sectatores circa Communionem Parvulorum non unius fuisse sententiae.

XXXI. *fol.* 229. *Incipiunt regule contra heresés edite in Constancia.* Opusculum *Job. Gerson*, quod incipit: *Oblaturus iuxta Seniorum huius Sacri Concilij* &c. ut *Opp.* T. I. p. 457. et in pluribus *Codicibus* nostris.

XXXII. *fol.* 237. Excerpta ex *Isidoro Hispal. de Summo Bono.* L. I. C. 26. et 27. et L. III. c. 12. de Haereticis.

XXXIII. *fol.* 238. p. 2. *Sequitur Epistola pulchra a vero katholico domino Benessio predicatore in ecclesia pragen. directa ipsi heresiarche hus.* Initium: *Gloriosus deus pius ihesus det tibi non plus quam oportet sapere et animum quietum orthodoxe fidei et in futuro gloriam sempiternam. Cupiens tibi exprobranti mihi respondere uerbum, miror vehementer, cur me fratrem tuum appellas cum me scias filium esse sancte matris ecclesie, cuius tu non vis esse filius* &c. Rogat, ne hujus matris dolores renovet. Temerarium judicium sibi ab *Husso* impactum eo diluit, quod ipse non judicet, sed sequatur judicata; dictum vero esse: *Qui non credit, jam judicatus est*, quod et *Augustini* loco fulcit. Optime constare omnibus, ipsum sententiis sive interdicto innodatum esse, quod sit sectator *Wicleffi*, non vero propter satiricas praedicationes contra Clerum, ut ipse credi cuperet. Interdictum demum rectius poni contra unum Schismaticum quam contra mille Daemonia; illum enim plus nocere posse Ecclesiae. Claudit cohortatione, ut resipiscat. Nota temporis abest, sed Interdicti mentio ad an. 1413. referre jubet. Quis porro *Benessius* seu *Benedictus* noster fuerit, ignoro.

XXXIV. *fol.* 240. *De Sectis Christianorum.* Decerptum videtur e quadam Terrae sanctae Descriptione; subditur enim: *Restat dicere de variis sectis Christianorum et aliorum que secte in ierusalem inueniuntur* &c. Enumerantur verò: *Latini, Greci, Suriani, Indi, Nubiani, Armeni, Georgiani, Nestoriani, Jacobite, Marionite, Copti, Hysini, Soldini.* Horum descriptionibus accedunt Sectae *Judaeorum*, et *Machometanorum*, de quibus fusius,